

(1273) 1274 març 5

*Cecília de Foixà, priora i infermera de Sant Daniel, estableix a Marimon de Boades, de Salitja, el mas dit de Sant Daniel d'aquesta parròquia, a tasca i cens de 14 sotf,s i 8 diners, per 650 sous, quantitat que inclou l'esponsalici de la futura esposa del mateix Marimon.*

ASD núm. 224, perg. orig., 415 x 255, carta partida.

Sit notum cunctis quod ego Cecilia de Fuxano, priorissa et infirmaria monasterii Sancti Danielis, per me et omnes successores meas tenentes officium predictae infirmarie, consilio et uoluntate domine Berengarie, Dei gratia abbatisse predicti monasterii, dono et stabilio tibi Marimundo de Buadis de parochia de Salija et uestris perpetuo totum illum mansum uocatum mansum de Sancto Daniele quero predicta infirmaria habet in parrochia Sancte Marie de Salija et omnes honores et possessiones cultas et heremas eidem mansa ubique pertinentes qui tenentur per infirmariam supradictam, et cum quadam fexia terre que est intus condaminam predicti mansi, que fexia tenetur per Petrum de Corniliano. Predictum itaque mansum cum omnibus honoribus et possessionibus ipsius, cum ingressibus et exitibus et cmn omnibus pertinentiis et tenedonibus suis et arboribus diuersorum generum et cum expletis qui ibi sunt, saluo tamen iure laborationis quantum ad illa expleta que ibi sunt modo, et cum omnibus melioramentis et augmentis in predictis factis et de cetero faciedis et cum omnibus aliis et predictis habentibus eisque qualicumque modo pertinentibus, prout melius potest <lici et intelligi ad tuum comodum et tuorum, sic tibi et tuis omnia predicta perpetuo dono et stabilio, et confiteor omnia predicta me nomine tuo possidere donec de predictis possessionem acceperis corporalem quam tua propria auctoritate passis accipere quandocumque uolueris et deinde tibi et tuis perpetuo retinere ad omnes tuas uoluntates et tuorum perpetuo faciendas, ita uidelicet quod tu et tui faciatis semper in predicto mansa assiduum et continuam residenciam personalem et teneatis predictum mansum condirectum et laboretis et conrezetis annuatim honores et possessiones mansi superius nominati et habeatis tu et tui predicta omnia ad omnes tuas uoluntates et tuorum perpetuo faciendas, saluo iure meo et predictae infirmarie in omnibus, cui dabitur tu et tui bene et fideliter presente baiulo meo de expletis qui erunt in honoribus qui per dictam infirmariam tenentur tascham allatam annuatim in monasterio supradicto, et pro censu annuatim quatuordecim solidos et .vm. denarios monete de terna et duo paria gallinarum in festo Natalis Domini, et saluis mihi et meis perpetuo terciis, laudismiis et omnibus aliis foriscapiis et redemptionibus hominum et feminarum et, saluo etiam iure Petri de Corniliano superius nominati. Et sic promito per me et meos successores tenentes dictam infirmariam omnia predicta tibi et tuis semper facere habere et tenere et possidere in pace et esse inde tibi et tuis semper defensatrix et guarent contra cunctas personas uiuentes et de euictione et amni interesse obligo inde tibi et tuis omnia bona semper predictae infirmarie ubique presencia et futura et perpetuo hoc donum et stabilimentum et pro firmamento quod debeo habere de sponsalicio quod firmare promito priori uxori quam duces recognosco a te recepisse et penes me habuisse et misisse et expendisse in comodum et utilitatem predictae infirmarie sexcentos

et quinquaginta solidos barchinone ses monete de terno et ultra, ut tu euenis homo proprius et solidus predicte infirmarie cum omni prole que a te exierit et cum omnibus bonis tuis habitis et habendis super quibus .ocL. solidis renuncio excepcioni peccunie non numerate et doli; et si amplius inde deberem habere uel mihi deberet contingere predictis .. DCL. solidis, totum illud plus tibi et tuis dono et diffinio gratis et ex certa sciencia donacione irreuocabili inter uiuos, renuncians expresse auxilio et beneficio illius legis qua deceptis ultra dimidiam iusti precii succurritur et iuri ingratitude et omni alii iuri scripto uel non scripto quo contra predicta uenire possem aliqua racione. Et ego Marimundus de Buadis predictus, recipiens predictum donum et stabilimentum sub modo superius comprehenso, laudo et concedo hec omnia supradicta.

Actum est hoc .m. nonas marcii anno Domini .MCCLXX. tercio.

Sig+num Cecilie de Fuxano, priorisse et infirmarie supradicte, sig+num Marimundi de Buadis predicti, qui predicta omnia firmamus et laudamus et concedimus. Sig+num Berengarie, Dei gratia abbatisse dicti monasterii predicte, que hec omnia supradicta firmo, laudo et concedo, cuius signum crucis ego Raimundus Strucii scriptor infrascriptus mandato et uoluntate ipsius hic apposui manu mea. Testes huius rei sunt Berengarius de Cistella, clericus sedis Gerunde, et Guilielmus, clericus capelle Sancti Danielis.

Sig(s. man. )num Raimundi Strutii, qui hoc scripsit mandato Bemardi de Uicco, publici Gerunde notarii, cum raso et emendato in .vnn. linea, ubi dicitur "possessionem", die et anno quo supra. Ego Raimundus de Caciano, tenens locum Bemardi de Uicco, publici Gerunde notarii, subscribo.